

dree Zizer, preceptoris Vieniensis ac receptoris dicti nostri communis thesauri in dicto nostro prioratu, ad nos nuperrime traïiectis datis Vienne de mense Maii proxime elapsi, quibus nos et nostrum conventum certiores facit ex officio suo, qualiter dictus frater Engellardus nullas unquam responsiones usque in presentem diem solvit nec solvere voluit, ymo expresse recusavit contra consuetudinem nostre religionis ac obligationem pretactam, et quia etiam per easdem litteras dicti nostri receptoris dicitur ipsum fratrem Engelhardum iterum de novo magis impignorasse dictam domum sancti Petri ac alienasse iura et iurisdictiones ipsius domus et mala malis accumulasse, idcirco die decima mensis Septembris anno ab incarnatione Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo supranominatis procuratoribus communis thesauri assignavimus et dedimus iusticiam nostre religionis, videlicet esguardium fratrum. Cuius esguardii caput fuit venerabilis in Christo nobis precarissimus frater Simon de Valguarnera, baiullie nostre Maioricarum preceptor⁸⁸. Et in eius sotietate fuerunt pro lingua Aluernie frater Odibertus de Mortines, preceptor Calcis, pro lingua Provintie frater Iaume de la Paulta, preceptor de Pumison, pro lingua Hispanie frater Petrus Tärner, pro lingua Frantie frater Hallenus Boucier, pro lingua Italie frater Galleatius de Alamania, pro lingua Anglie frater Guillelmus Haston et pro lingua Alamanie frater Lodouicus How.

QUIBUS coadunatis secundum consuetudinem nostre religionis in ecclesia sancti Iohannis Collaci comparuerunt reverendi religiosi frater Raymondus de Tes, nostri dicti conventus magnus preceptor⁸⁹, et frater Iacobus de Azaïollis, dicti communis thesauri conservator generalis⁹⁰, nomine ac vice ipsius communis thesauri agentes et petentes et presentaverunt scripturas prefatas, de quibus in superioribus fit mentio, et petierunt prefatum Enghellardum privari preceptoria sancti Petri et aliis preceptoriiis, quas tenet a religione, et omnibus dignitatibus, honoribus, beneficiis, officiis et titulo, si quem habet in prioratu Boemie, secundum formam stabilimentorum bonorumque morum et consuetudinum dicte nostre religionis tamquam inhobedientem et contrafactorem suarum promissionum et obligationum, periurum ac alienatorem bonorum, iurium et iurisdictionum prefate nostre religionis, presentibus illic fratre Iohanne de Oç lingue Hispanie et fratre Antonio de Endelisperg lingue Alamanie⁹¹ assertis procuratoribus dicti

88) Fr. Simon de Valgorniera: SARNOWSKY (wie Anm. 10) S. 690.

89) Fr. Raymond de Tésy: SARNOWSKY (wie Anm. 10) S. 652.

90) Fr. Giacomo dei Acciaiuoli: SARNOWSKY (wie Anm. 10) S. 660.

91) Fr. Anton von Englisberg: Johann Karl SEITZ, Der Johanniterorden und des-